

Cantico di Zaccaria. Luc. 1.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël: * quia
visitávit, et fecit redemptiónem plebis
suæ:

Et eréxit cornu salutis nobis: * in domo David,
púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a
sæculo sunt, prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu
ómniū, qui odérunt nos.

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus
nostris: * et memorári testaménti sui
sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham
patrem nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum
nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus
diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: *
præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre
vias ejus :

Ad dandam sciéntiam salutis plebi ejus: * in
remissiónem peccatórum eórum :

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in
quibus visitávit nos, óriens ex alto :

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra
mortis sedent: * ad dirigéndos pedes
nostros in viam pacis.